Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2339

Quelle:
Copyright:

duas recipere uicarias. et *Can.* XXXIV. pro *Leccatores ſeu reprobatos Apoſtolos* habet *Rectores;* minus quidem recte; interim tamen, quid *Leccatores* ſint, *Harzhemius* non explicat. Ego non Scurras et Paraſitos a noſtro *Lecken* arbitror, qualem enim hi *reprobatam Regulam*, aut *inſolitum habitum* ſequerentur, quod ait *Canon*, verum Clericos aut Monachos vagabundos, alias *Sarabaitas* dictos, aut *Gyrovagos*, ab antiquato *Läcken*, quod *Curſitare*, *Saltare* ſignificabat.

V. *fol.* 20. *Hec eſt conſtitutio, domini Bonifacii pape.* Haud dubie VIII. *Data apud ſanctum Petrum VI. Kal. Marcii Pontificatus Anno ſecundo*, itaque a. 1296. Non inveni in *Bullario* magno. Incipit: *Clericis laycos infeſtos opido tradit antiquitas, quin et preſentium experimenta temporum manifeſte declarant — imponunt onera grauia, ipſosque talliant et eis collectas imponunt, ab ipſis ſuorum prouentuum uel bonorum dimidiam, decimam uel uiceſimam, uel quamuis aliam portionem aut quotam exigunt* &c. Id igitur deinceps et exigentibus et dantibus ſub anathemate prohibetur. Mirum hic occurrere voces *Talliare*, *Stagiare*, *Saiſire*, quae gallicae potius originis ſunt, et in *Cangii Gloſſario* exponuntur.

VI. *fol.* 21. *Hec ſunt conſtituciones domini Chunradi Archiepiſcopi Saltzpurgen.* Editae in Concilio XXVI. a. 1291. numero tantum Tres, et relatae in *Concill. ſuprac.* p. 139. *Can.* II. ubi *Dalhamius* et etiam *Harzhemius* legunt: *quam extra Salisburgenſem — Gaizenſem Archidiaconatus extendi ad praeſens volumus*, Codex habet fortaſſe rectius *nolumus*, item *Garzenſem*, quod pariter probabilius videtur, ſive *Garſium* in *Auſtria* intelligas, ſeu ſcribendum erat *Gurcenſem* in *Carinthia.*

VII. *fol.* 22. p. 2. *Conſtituciones Synodales domini Johannis Epiſcopi Brixinenſis Eccleſie facte anno domini. M°. CCC°. XVII°. In die Othmari.* In *Harzhemii Conciliis* non reperio, et *Reſchius* non perduxit *Annales* ſuos usque ad hoc tempus. *Johannes* hic a. 1319. ad *Bambergenſem* atque deinceps ad *Friſinganam* Sedem translatus fuit. *Capitula* V. hic ſtatuta privant eccleſiaſtica ſepultura et ſuffragiis fidelium eos, qui annos diſcretionis ingreſſi de peccatis non fuerint confeſſi, qui absque confeſſione in manifeſto peccato mortali obierint, qui injuſte detinent aut occupant res alienas una cum heredibus conſciis, qui uſuras exercent qui in excommunicatione majori deceſſerint. Eorum promulgationi per ſingulos annos aſſignantur Dominicae tres ante Feſtum OO. SS. tres ante Nat. Domini et tres in Quadrageſima. Initium eſt: *Nos Johannes* &c. *Ne pretextu ignorantie quisquam ſubditorum noſtrorum uelamen excuſationis aſſumat* &c.

VIII. *fol.* eod. *Illuſtri domine* &c. *Frater thomas de Aquino ordinis*